

nem, Diana part. 3. trat. 5. resol. 56. vers. , & eadem ratione, Sylveſter V. lex. q. 9. Suarez. de legibus lib. 3. c. 23. num. 9., Bonac. de leg. disp. 1. q. 1. pu. 7. §. 3. num. 8.

16 Amplia etiam, si Judex damnasset hæredem ad solvendum legata, & debita ultra res hæreditatis, quia non confecit inventarium, quia non obstante sententia, adhuc neque teneretur in conscientia ex eadem ratione, quia scilicet sententia nititur præsumptione falsa præsumpti doli, & fraudis, quæ præsumptio non habet locum in foro conscientie, in quo sola naturalis veritas observatur, & ita benè tenent, Sanchez. in Summa lib. 4. c. 15. num. 37., Sayr. Clavi Regia lib. 3. c. 7., Trulench. in exposit. decalog. tom. 2. lib. 7. c. 17. dub. xi. num. 6.

17 Ubi autem plures sunt hæredes, omisso Inventario, singuli non tenentur in solidum, sed tantum pro eorum rata, pro qua sunt hæredes, & non ultra, Grat. consil. 86. nu. 16., Molina de primogenit. lib. 4. c. 1. nu. 24. Fusar. de substit. q. 587. num. 20., Capic. latro. decis. 15. 16., Altograd. controvers. 49. n. xi., Borell. Summa decis. tit. de privileg. dotis. lib. 3. num. 490., & 495., Surd. decis. 90. n. 2., & seqq., Gizzarel. decis. 52. à n. 1., Mans. consil. 53. num. 5., Rota decis. 50. num. 10. p. xi. decis. 402. p. 9. recent., Mangil. de evict. q. 112. num. 17. Votum 7. Impressum post decis. Rembold.

18 Secundum. Incommodum, quod incurritur ex omissione Inventarii est, quod præsumitur hæres dolose fraudasse bona hæreditatis, Ludovif. decis. 511. num. 29., & est præsumptio Juris, non tamen de jure, Farinac. fragm. crimin. p. 2. V. hæres nu. 1. 2., ideoq; contra heredem dari Juramentum in litè, idem Farinac. repertor. de ultim. volunt. q. 75. num. 51., limita si jam fecerat Inventarium, sed non integrum, quia hæc ommissio, non præsumitur dolosa, licet esset culpabilis ad tradita in decis. 169. Ludovif.

Tertium. Incommodum est, quod hæres omittens conficere Inventarium amittit falcidiam, §. Si verò absunt, §. Si verò non fecerunt Authent. de hæredibus, & falcidia, l. Scimus C. de jur. deliberand. & D. D. in auth., sed cum testator C. ad l. falcidiam, Roland. conf. 5. num. 23. lib. 4., Farinac. dicta p. 2. frag. crim. V. hæres num. 6., & in repert. de ultim. volunt. q. 21. c. 2. num. 2., Marius Antonin. variarum resol. 8. n. 10. lib. 2.

19 Limita tamen in foro conscientie, in quo poterit detrahere falcidiam, ex ratione alias deducta, quia scilicet prohibitio legis est fundata in præsumptione, quod hæres fraudaverit, & occultaverit bona, & pro foro conscientie præsumptio cedit veritati, quod idem dicas in aliis incommodis subsequentibus, similiter in præsumptione fundatis, ad notata per Valerum de Differentiis utriusque fori V. hæreditas, & hæres differentia 3. & 4.

20 Quartum. Incommodum est, quod amittat Trebelianicam, licet plures in contrarium sentiant allegati per Farinac. d. repert. de ultim. volunt. q. 21. c. 1. num. 1., tamen communior, & probatior censetur sententia, quod amittat, ut refert idem, Farinac. num. 2., & seqq., & re satis discuss. in decis. Pedemont. Cacheram decis. 147. per totam, ubi limitatur in filiis, sive primi, sive ulterioris gradus, quod alii contrarium sentiunt.

21 Quintum. Incommodum est, quod filius omissa confectioe Inventarii amittat legitimam intelligendo respectu creditorum, secus respectu fidei commissariorum, aut legatariorum, de quibus distinctionibus, vide allegata per Farinac. d. q. 21. de ultim. volunt. c. 1. num. 8., & 13., Merlin. de legitima lib. 3. tit. 2. q. 24., ubi distinguit inter creditores ex causa onerosa, vel lucrativa, inter creditum certum, & dubium.

22 Sextum. Incommodum hæredis non conficientis Inventarium est, quod potest cogi, & obligatus est patefacere medio suo juramento bona hæreditatis, sicque jurare secundum formam petitionis partis instantis, quia hoc jurandum succedit loco Inventarii, nec potest recusari, l. Scimus 22. §. licentia C. de jur. deliber., ibique glos. in Vers. illius, ubi dicit notandum, & ex pluribus confirmat, Gratian. discept. form. c. 59. num. 14., & seqq.

23 Septimum. Incommodum hæredis non conficientis Inventarium est, quod contra ipsam hæredem, & contra bona potest agi via executiva, & eodem modo; quo poterat agi contra defunctum, præmissa tamen citatione; Rota in Sancti Severini dotis 5. Maii 1631. coram Pirovano num. 1., quæ est decis. 32. post Farinac. repert. de ultim. volunt. per tex. in l. Postulante ff. ad Trebel.

24 Prædicta tamen incommoda vitari poterunt

runt per restitutionem in integrum adversus omisam Inventarii confectioem, non solum à minore ex defectu ætatis, imprudentia, aut ignorantia justam causam præbente, sed etiam à majore si concurrat justa causa restituendi in integrum Judicis arbitrio, ut tradit Odd. de restit. in integ. p. 2. q. 89. art. 7., ubi num. 55., quod minor restituitur, etiam si fuisset condemnatus ad solvendum æs alienum in hereditate repertum per duas Sententias, nam nihilominus potest restitui ad conficiendum Inventarium, ut ostendat, quod hæreditas non est solvendo, & audiri debet minor, etiam non referentis expensis, Nata consil. 17. lib. 1., ubi plures allegat.

25 Non prætereundum ad hæc existimavi, quod licet constaret de negligentia hæredis in confectioe integra inventarii, tamen hæc omissio, & negligentia non præsumitur dolosa ad latè tradita in decis. 169. Ludovif., unde qui velet dicere talem omissionem esse culpabilem, vel dolosam, deberet probare, ubi num. 11. quod ad summum præsumenda esset potius culpa, quam dolus, quia semper præsumitur, quod minus est in odiosis, ibique addentes nu. 13. Non tamen hæres esset negligens si omitteret describere ea bona, licet essent in domo testatoris, Gratian. discept. for. c. 998. num. 10.

26 Quartò. Hæres incurrit negligentie culpam, & quidem mortalem, si dixerat exequi voluntatem testatoris, maximè in restitutione eorum, ad quæ tenebatur testator, itaut possit à Judice compelli, ut est tex. in c. In litteris de raptor., ubi Barbosa num. 2. 3. Leoncil. de privileg. paup. privileg. 116. nu. 31.

27 Quæ negligentia si sit, quo ad celebrationem Missarum, legatarum à Testatore, nocet etiam ipsius testatoris anime, quatenus non recipit suffragia, quæ reciperet, si Missæ celebrarentur, & sic diutius detinetur in Purgatorio, ut ex Navarra docet Sayr. decis. casuum conscientie lib. 5. decis. 34., & ex S. Thob. quod lib. 6. art. 13., Navarra Manual. c. 17. n. 68., Leoncil. d. privileg. 116. num. 31., placet autem latius hunc articulum examinare scilicet.

28 Utrum Negligentia hæredis in restitutione male ablatorum, in solvendis debitis testatoris, vel legatis piis, noceat anime Testatoris, itaut detineatur in Purgatorio diutius, vel donec solvantur, & si hæres per-

petud sit negligens anima Testatoris detineatur in Purgatorio usque ad diem Judicii, vel ut aliqui videntur sentire, si non detineatur in poena sensus, saltem patiatur poenam damni, quatenus remaneat privata facili Dei Visione usque ad diem Judicii, quæ difficultas habet locum data negligentia exequutorum testamentariorum, ad quod videtur urgere, tex. in c. in litteris de raptoribus in fine, ibi (hæredes eius monent, & compellas, ut bis, quibus ille per incendium, vel alio modo, damna contra justitiam irrogaverat, juxta facultates suas condignè satisfaciant, ut sic à peccato valeat liberari) & posset etiam ad id allegari reg. 4. Juris in 6. Peccatum non dimittitur, nisi restitatur ablatum, qua propter refertur in Cronis Fratrum Minorum, quod fuerit revelatum, cujusdam animam non potuisse ad visionem beatificam ingredi, donec fieret restitutio ab illo debita, & refert Bellarminus in Controvers. fidei tract. de Purgatorio lib. 2. c. 16. ex lib. 6. revelat. cap. 66. Sanctæ Birgitæ, animas tandiù cruciari donec restituatur, quod debebat, aut quod injustè ablatum est, concordat illud Mathei c. 18. tradidit eum tortoribus, quo ad usque reddat universum debitum, & concordat etiam inter Vivos juris dispositio, de qua Farinacius q. 27. num. 149. nempè. Qui non habet in ære, luat in corpore, sicuti, & Ecclesia videtur sentire, dum animabus defunctorum applicat illud, Job. c. 19. Quare persequimini me sicut Deus, & Carnibus meis saturamini, quæ lamentatio summitur tamquã anime purgantis conquerentis contra hæredes, qui pro eis non satisfaciunt.

29 Verum D. Thomas, quod lib. 6. art. 13. quem sequuti sunt Bellarminus loco supra citato. Grassius decis. aur. p. 1. lib. 1. c. 26. num. 15., Clavis Regia Sayr lib. 10. tract. 1. c. 2. num. 6., Spin. speculo testamentorum Glossa 28. principali num. 7., & 8., Michael Salon. in 2. 2. q. 5. de dominio artic. 5., & q. 62. artic. 1. in fine, Sylveſter V. Testamentum 2. q. 9., Zabarella in cap. Qui obligationes il. 2. 13. q. 2., Barbosa in c. in litteris num. 4. de raptor., Angelus Summa V. Exequutor num. 23., alique plures per eodem allegati, respondent animam Testatoris non pati per se poenam aliquam per negligentiam hæredum, aut exequutorum, ea quia nemo ex alterius culpa prægravatur, l. Imperatores 3. ff. de transact. l. Sancimus C. de penis, & solum anima quæ peccaverit ipsa morietur,

tur, nec filius portabit iniquitatem patris, intelligendo, quo ad animam, nam quo ad corpus multoties punitur unus pro altero, filius pro patre, & hoc non solum ab hominibus, sed etiam à Deo; Idèd in diluvio universali aquarum, de quo *Genesis c. 7.*, & in Incendio Sodomæ, & reliquarum Civitatum, de quo *Genesis c. 19.*, multi innocentes pueri, & infantes perierunt, at animæ Innocentium salvæ factæ sunt, ubi animæ eorum, qui peccaverant, perierunt, dixi per se, nam quasi per accidens, & in quadam consequentia patiuntur, quatenus subtrahitur remedium, & auxilium, quod in solutione debitorum, & legatorum piorum, putà in celebratione Missarum eis proveniret, *Sanchez. in opus. lib. 4. c. 1. dub. 53.*, ubi *num. 3.*, quod negligentia executorum non nocet testatoris animæ quo ad meritum, nocet autem quo ad satisfactionem, *Sylvester V. Testamentum 2. q. 9.*, nam licet testator, qui aliena rapuit, aut injustè detinuit, confitendo peccatum suum, & mandando debiti solutionem, culpam deleverit in Sacramentali expiatione, attamen superest satisfactio luenda in Purgatorio, quæ dicitur reatus pœnæ, à qua non liberatur nisi vel satisfaciendo, vel mediis suffragiis à viventibus oblatis, quoties ergo hæres, vel executor negligat implere mentem, & ordinationem testatoris, subtrahunt suffragia; Sicque Anima cogitur perseverare in Purgatorio, donec integrè satisfacta sit, & ut latius explicat *Barbosa in regula, Peccatum num. 7. & 8. de reg. jur. in 6.*, ubi respondet ad tex. in c. in litteris de raptor. duas afferendo responsiones; Prima, quod verior littera ex antiquioribus codicibus nō dicit valeat liberari in numero singulari, sed valeant in numero plurali, sicque verbum valeant referatur ad hæredes, qui si negligant solvere debita testatoris peccant mortaliter, à quo peccato non liberantur, nisi facta restitutione à Testatore de mandata, eodemque modo respondit *Spinus loco supra citato sub num. 8. Vers. Nec obstat textus.* Secunda solutio est, quod etiam sumpto verbo valeat in singulari, & sic referendo ad defunctum, tunc proderit restitutio hæredum, vel ob erit negligentia, quatenus in c. Super eo 2. de raptoribus. *Eugenius Papa 3.* mandavit, quod quando In-

condiarius, sive raptor, sive violator Ecclesiarum obiit non facta restitutione, seu damnorum refectione, licet ei contrito non negetur viaticum, tamen nullus Clericorum Sepulturæ illius intersit, nec ejus elemosinam præsumat accipere; qua prohibitione stante, subtrahuntur suffragia Ecclesiæ, donec hæredes, vel executores solvant, restituant, satisfaciant, & sic sequitur, ut supradictum est, quod per accidens, & ex quadam consequentia per hæredum negligentiam anima testatoris diutius detineatur in Purgatorio, donec integrè satisfaciatur, ubi si executioni demādasset hæres testatoris mandata, suffragiis Ecclesiæ applicatis anima juvaretur, & citius liberaretur à pœnis. *Turrecremata in c. Qui oblationes il 2. num. 2. 3. 13. q. 2. per textum ibi*, quia & fideles de corpore recedentes votorum suorum plenitudine, & pauperes consolatu alimonix, & necessaria sustentatione fraudantur, *Sotus de Justit. & Jure lib. 4. q. 6. art. 1. versus finem versic. Septimum præterea*, *Abbas tamen Panorm. in c. In litteris nu. 4.* de raptor. contendit, quod negligentia hæredum obsit defunctorū animabus ad hoc, ut diutius in Purgatorio detineantur ad pœnas, eo quia defunctus fuit in culpa in non satisfaciendo, dum viveret, quod habebit bonum sensum, si dicamus, quod non propter hæredum negligentiam, sed propter suam defunctus patiatur diutius, & quod hæredum negligentia subtrahendo suffragia sinat illum sic in pœnis detineri usquequo satisfactus sit, sicuti abs re non erit si dicamus, quod illa hæredum negligentia à Deo sit permessa in pœnam negligentix defuncti, qui dum vivens potuit satisfacere suis debitis, & neglexit, ita aliorum negligentia subtrahat auxilia, quibus citius liberaretur à pœnis.

31 Ita, & negligens dicitur hæres si diserat legatorum solutionem, undè hæres existēs in mora tradendi legatario fundum frugiferum, teneatur etiam ad fructus, *l. Si quis bonorum ff. legatis 1.*, *Barbat. de divis. fructuum p. 2. c. 2. num. xi.*

32 Sed difficultas esse potest, quando nam incurrat hæres hanc negligentix culpam differendo legatorum solutionem, & quidem primò certum est, quod si testator determinaverit tempus, infra quod, vel quo velit legatum persolvi, eo tempore trans-

acto,

acto, nec facta solutione, hæres fuit negligens, & morosus, absque alia interpellatione, quia dies certa interpellat pro homine, ut latius id ostendimus prima parte. Si verò non est à testatore determinatum tempus, tunc distinguendum est de legatis piis à non piis, nam legata pia debentur statim post mortem testatoris, & si sint annua debentur in principio anni, sic etiā, si testator statuit tempus, infra quod velit solvi legatum, illud debetur in principio statuti temporis, & hoc ex privilegio, & favore causæ piæ, *arg. l. Si ita fuerit ff. de manumiss. testam. Cyriac. controvers. 363. num. 1.*, & *seqq. lib. 2.*, *Antonell. de tempore leg. lib. 1. c. 23. num. 3. & 4.*

33 Si verò legatum est ad causas non pias, tunc *Antonell. loco citato num. 1.*, & 2. distinguit, vel legata est pecunia, vel corpus, si pecunia, tunc solvi debet in fine termini, si corpus, aut species, tunc debetur in principio, nisi tempus fuisset appositum favore hæredis, quia tunc debetur tantū in fine termini, *Antonell. d. c. 23. num. 5.*

34 Hinc legatum pro Missis celebrandis debet impleri in principio anni, & licet de jure videatur concessum spatium sex mensium, hoc tamen intelligitur expressum ad convincendam negligentiam, & contumaciam hæredum, *Barbosa de off. & potest. Episcopi alleg. 82. num. 18.*, *Pasqualig. de Sacrificio novæ legis q. 978.*, & *q. 979.*, ubi *q. 980.* in fine assertur declaratio Sacræ Congregationis, ut ad obviandum periculo, ne, si hæredes statim, & anticipatè solvant stipendia Sacerdoti pro Missis celebrandis, defraudetur mens testatoris, Sacerdos non celebraret Missas, declaravit, quod hæredes non teneantur Capellano anticipatè solvere, nisi caveat, aut pro celebratione Missarum, aut pro restitutione mercedis, casu quo non celebrarentur Missæ.

35 Data igitur negligentia hæredis, sequitur alius effectus, quod scilicet, potest legatarius petere rem legatam, una cum fructibus perceptis ab hærede, immò, & perceptibilibus ab ipso legatario, sublata negligentia, *l. cum Servus 39. §. fructus autem ff. de legatis 1.*, *Peregrin. de fideicom. artic. 49. num. 19.*, & *seqq.*, ubi *num. 81. 85. 86.*, quod mora, & negligentia committatur per interpellationem Judicialem, vel extrajudicialem: *Gratian. discept. for. c. 258. num. 20.*

36 Data tanta negligentia hæredis, executio legatorum piorum post sex menses, & non piorum post annum si præcesserit bina monitio, *Leoncil. de privileg. pauperum privileg. 131. num. 3. & 11.* devolvitur ad Episcopū, *Auth. hoc amplius C. de fideicom.*, *Barbosa de pot. Episcopi Alleg. 82. num. 13.*, & 15. etiam contra Laicos exemptos, ut officiales Sanctæ Inquisitionis, *Barbosa ibid. num. 14.*, & tanto magis contra privilegiatos, *Gratian. decis. Marchie 189. deb. 2.*, *Riccus Collect. decis. p. 3. collect. 714. in fine*, *Diana p. 8. tract. 5. resol. 40. articulo* hinc inde discussio, quod habet locum etiam si testator dixerit ne Episcopus se intromittat; *Leoncil. de privileg. pauperum privileg. 131. num. 2.*

37 Negligentia autem hæredis in non exequendis legatis piis, nisi sit de re modica, regularitè est peccatum mortale. *Navar. Manual. c. 25. nu. 65.*, *Barbos. d. alleg. 82. n. 16.*

38 Nec prætereunda est dispositio ad favorem fabricæ Basilicæ Principis Apostolorū de Urbe circa legata Pauperibus in genere facta; vel ad opus pium certum, vel incertum, qua conceditur facultas ministris ejusdem fabricæ capiendi omnia legata pia, quæ ex negligentia hæredes, vel Commissarii petiti, vel non petiti post annum solvere contemnebant, ut habetur in *consist. 31. Pauli III. incipit Dum ad Universas*, quæ tamen moderavit *Alexander VII. sua consist. 7. incipit. Superni dispositione consilii*; ubi, quod legata pauperibus non solum certis, sed & incertis, & operibus piis per annum ex negligentia, ut supra, non soluta, non fabricæ prædictæ amplius, sed similiter Pauperibus, & locis piis per Episcopum eligendis adhuc distribuuntur, non obstantibus predecessorum Pontificum bullis, & constitutionibus ad favorem prædictæ fabricæ emanatis, sed juxta testatorum dispositiones exequenda per Commissarios, vel Episcopos juxta juris communis dispositionem.

39 Utrum autem hæres dicatur negligens, si non solvat legata, etiam pia, eo quia diminuti sunt redditus hereditatis, difficultas est non contemptibilis, & casus est de diminutione reddituum contingente postquam hæres est in possessione bonorum hereditatis, quo casu, vel diminuuntur redditus ex casu fortuito in ipsis redditibus contingente, ut ex grandine, siccitate, Bellò